

um laudatum, in secula appellatum in sacro Codice, quod dicta gestaque ejus recensentur. Ante ipsum fuisse Prophetas, qui eandem veritatem, sed non tam clare atque evidenter, nec tanta vi & efficacia innocentiae conjuncta proposuerint. Post ipsum discipulos ejus in omnem terrarum orbem divinam istam veritatem propagasse, quae singulari providentia Numinis Optimi, Maximi ad nostram quoque aetatem pervenerit. Ab illo, ut & Prophetis & Apostolis praedicta esse multa multis ante seculis, quam evenerunt. Multa tamen ad convictionem omnium evenisse & quotidie evenire; multa quoque restare, quae suo tempore certissime consecutura sint.

Dicatur de primorum Christianorum vita sancta, castitate, temperantia, animi submissione, jejuniis, patientia calamitibus, suppliciis propter vitam sanctam irrogatis, de extinto sancte vivendi ardore, florentibus Christianorum rebus sub Imperatoribus & Regibus ad externam doctrinæ Christi confessionem conversis. De corrupta puriori doctrina per haereticos, de ejus restitutione per Reformatores. Heic quoque notet nomina singularum rerum & propriatum, loquatur, scribat, componat. Ut brevem quoque rerum civilium cognitionem conseqvatur; Magister ipsi monstret Rusticos seu ruricolas, Cives, Nobiles, eosque singulos per certos Magistratus gubernari dicat; Rusticos nimirum per praetorem in Praetorio; Cives per Senatum in curia, Nobiles per Consiliarios Principis; Praetorem autem & senatum à consessu Consiliariorum, hunc ab ipso Principe dependere; penes hunc esse summam rerum; hunc per ministros suos gubernare subditos,